

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

**SVDORE**  
**NATVRALI, NON-NATVRALI**  
**ET PRÆTERNATVRALI,**

QVAM  
SVPREMO ARCHIATRO DIRIGENTE, SVAQVE GRATIA  
ADSISTENTE,  
IN ALMA AC PER-ANTIQVA HIERANA  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

**CHRISTOPH. IGNATIO**  
**DE GVDENVVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGUNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-  
QVE PER THYRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

**VIGORE DECRETI ET CONSENSVS GRATIOSÆ**  
**FACVLTATIS MEDICÆ**

SVB PRÆSIDIO

**DN. HIERONYMI. *Dudolfi***  
**PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,**

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECTORIS MOGUNT. FACULT. MEDICÆ ET PHI-  
LOS. ASSESSOR. ORDINARIJ, n. p. CHTMIE AC MATH. PROF. PUBL.  
DNI PROMOTORIS AC PATRONI SVI ESTVMATISSIMI.

**PRO LICENTIA**

SVPREMOS IN SALVTARI ARTE HONORES VNA CVM PRI-  
VILEGIIS ATQVE INSIGNIBVS DOCTORALIBVS MORE RITVQVE MAJO-  
RVM SOLENNI OBTINENDI

PLACIDÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET

**MICHAEL SIEGISMVND SCHIEBEL, *Vr. Silesius.***

**DIE II. SEPTEMBRIS, ANNO MDCCXXIV.**

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



*Nobilissimo, Excellentissimo, atque Experientissimo*  
DOMINO  
**JOANNI GEORGIO  
LANCKISCH,**

Med. Doctori Celeberrimo, n. n. Practico Felicissimo ac  
Famigeratissimo,

*Dno Vitrico suo omni obsequiali filialis honoris  
cultu summo Venerando,*  
ob amorem Paternum sibi nunquam non exhibitum atque ob simi-  
lia singularia accepta beneficia,

nec non

*Nobilissimo & Doctissimo*  
DOMINO  
**CASPARO SIEGISMUND Siebentank /**  
*Vratisl. Siles.*

Philosophiæ & Medicinæ Cultori solertissimo,


*Amico & Cognato suo Integerrimo,*

ob singulare amicitia & consanguineitatis vinculum prorsus arctis-  
simum, de die festivo ipsius natali cum disputationis suæ Inaugura-  
lis die coincidente, nec minus de diligentia ipsius singulari, qua  
profectus jamjam egregios in Medicina fecit, impen-  
sissime simul gratulaturus

HANC SUAM DISSERTATIONEM INAUGURALEM

D. D. D.  
**MICHAEL SIEGISMUND SCHIEBEL,**  
*Vratisl. Siles.*





## PRO Æ M I V M.



**R**ons prorsus inexhaustus est RERUM  
NATURALIUM, NONNATU-  
RALIUM AC PRÆTERNA-  
LIIUM, in quibus eruendis ac per-  
scrutandis si vel omnes homines suas  
insumant vires, id tamen vix ac ne  
vix quidem suffecerit. Invitat ad  
se tenerimã gratiã, jucundissimã opulentiã, amœnissimã  
varietate, suisque veris arcanis NATURA, quotquot  
hanc in Academiam Mundanam missi sunt, quo in hoc spe-  
culo claritate omni exceptione majori donato DIVINI CON-  
DITORIS AC CONSERVATORIS NOSTRI summam sa-  
pientiam atque integerrimam rerum ordinationem miremur,  
rimemur & deprædicemus. Invitat ad se multos, quinimò  
innumeros MICROCOSMUS, CENTRUM UNIVER-  
SI, omnia illa profundissima arcana secum occulens, & ita ta-  
men exhibens, ut intimius perspecto & cognito hoc facilis sit  
reliquorum omnium eruitio ac peritio. Invitat ad se haud  
paucos, cultores & amatores perpetuos futuros, ipsa SALU-  
BER-

BERRIMA ARS MEDICA, secundum illud: UBI PHY-  
 SICUS DESINIT IBI MEDICUS INCIPIT, profundis-  
 simum <sup>quorundam rursus inchoans</sup> pelagus transmigrans, & motus adeo-  
 que physicos supponens, intimiora STATUS NATURA-  
 LIS, NONNATURALIS ET PRÆTERNATURA-  
 LIS scrutanda subiens, THEORIAM MEDICAM VE-  
 RAM ET PRAXIN his præsertim in temporibus spon-  
 dens, omnibus bonis in laude ac honore posita, nec nisi mi-  
 seris oscribis ac rosoribus nefandis inuisa. Verum enim ve-  
 rò cum Sole Meridiano hæc sint clariora, adeo non impræ-  
 sentiarum opus est immorari eisdem longius, ut potius suf-  
 ficienti instituti mei exponere rationem. Cum nimirum olim  
 mens mea erat, me studio Theologico destinare, & hujus ra-  
 tione studium Philosophicum Wittebergæ præmiserim, in-  
 vitavit ad se & me Medicina utilissima atque amœnissima,  
 quam præmissa Physices cognitione, scitari talit commoda  
 occasio, cujus praxin felicem quoque aggredi concessit paternè  
 Divina Clementia, quare cum DEO & die hujus finis eo  
 facilius ac feliciter obtinenda gratia honores Academicos ex-  
 petere consultum duxi. Quoniam itaque in eo jam est,  
 ut specimen Inaugurale tradere debeam, placuit mihi inter  
 alia quamplurima thema de SUDORE, NATURALI,  
 NONNATURALI ET PRÆTERNATURALI oc-  
 casione desuper habiti examinis electum, in sequentibus §§is  
 è loculis suis eruendum. Id quod ut feliciter & ex voto  
 eveniat, DEUM T. O. T. M. supplicibus imploro precibus,  
 ulterius humillimè petens, velit paternâ suâ gratiâ & cle-  
 mentiâ mihi & nunc & semper adstare. Lectorem verò  
 Benevolum rogatum volo, ut laborem hunc qualemcunque  
 serena fronte suscipiat.

§. I.

**L** Evis sudoris negotium esse prima fronte non-  
nemini fortean videbitur, in *sudore* defudare  
velle, sive materiam de *sudore* thematis loco  
Inauguralis eligere, cum facillè pateat per se, quid sit  
sudor, & præterea dudum hæc materia ab Excellen-  
tissimis Doctoribus sufficientissimè fuerit pertractata.  
Ast si etiam inventis egregiis nihil valerem superad-  
dere, placet tamen & licebit quoque ea repetere, quæ  
hujus gratiâ legi ac selegi, præsertim cum Juniori Pra-  
ctico admodum sit utile & necessarium, nosse & di-  
stinguere posse, an *sudor* sit *naturalis*, *nonnaturalis*  
*ac præternaturalis*, ut sciat, quid sit faciendum,  
an sudor sibi aut naturæ sit relinquendus, an curan-  
dus, vel minus. Id quod facillimè patefcet, si præmis-  
sis paucissimis equidem prolegomenis rem ipsam in-  
timius perscruter.

§. II.

Nominis rationem habiturus deprehendo, quòd  
*sudor*, i. e. excrementum per cutim exudans, Græcis  
*ἰδρῶς* & *ἰδρῶς*, audiat & una cum verbo: *sudo*, *κατὰ τὸ ἰδρῶς*  
quod aquam undamque significat, derivatum existime-  
tur, aspiratione in literams conversa, Germ. der *Schweiß*.

§. III.

Sudoris verò nostri & dicendorum sciagraphiam  
delineaturus, sequentem fundamenti locò pono defi-  
nitionem, aut si mavis descriptionem: *Sudor* est ex-  
cre-

crementum serosum, ex plurima aqua, mediocri sulphure & sale, aliisque particulis heterogeneis cum sanguine haud benè unibilibus constans, per cutis poros, sive glandulas aut tubulos lymphaticos, caloris & fermentationis ope, interdum & sanguinis quoque debilitate, auctaque praesertim transpiratione, aliisque nunc ab intra, nunc ab extra juvantibus ac sudorem promoventibus causis, expulsus & guttularum adinstar, à frigore nimirum externo condensatus in cute apparens ac decidens, estque nobis vel naturalis vel nonnaturalis vel praeternaturalis jam considerandus.

§. IV.

Monendum autem statim, quòd magna fit comparatio inter *insensibilem transpirationem* & *sensibilem*, i. e. *sudorem*, illa antecedit semper sudorem, & hoc fiente augetur, hic absque ea fieri haud potest, utraque convenit transpirationis materia ac vehiculo, differt tamen subtilitate ejusdem, convenit organo aut subjecto in quo, convenit modo, differt tamen quantitate excreti seri, differt, quòd illa excretio sit insensibilis, hæc verò sensibilis. Speciatim autem acturus sum de hac ultima, ubi tamen vel ex priori multa mutuari debebo, velex posteriori prioris stabilimen est sperandum. Ita multum lucis affert observatio curiosa admodum *Sanctorii Sanctorii, Patav. Itali in Med. Statica §. 1. Aphor. 60. de perspiratione insensibili*, qui  
ip

in statera dimensus est, quod transpiratio hæc sola so-  
 leat esse longè plenior, quàm omnes sensibiles simul  
 unitæ & sola exspiratio per os facta unica die ad libram  
 semis circiter ascendat, & si cibus ac potus unius diei  
 sit ponderis ℥ XIII. transpiratio insensibilis transeat  
 ad ℥ V. circiter, imò afferit atque experimentis con-  
 firmat, pluribus unica die per insensibilem transpira-  
 tionem tantum evacuari, quantum per alvum quindecim  
 dierum spatio. En! incredibilem ferè quantita-  
 tem, simulque pro circumstantiarum varietate varietatem,  
 & consequenter insignem necessitatem τῆς διαπνοῆς  
 ἀναπόδητον. Unde luculentissimè patet, quantum intersit,  
 si sudor in quibusdam magis ordinariè aut naturaliter  
 aut nonnaturaliter fluat, ne impediatur, aut si p. n. sit,  
 ut curetur. Et hæc ὡς ἐν παρόοιῳ.

§. V.

Ad considerationem potius §. 3. definitionis di-  
 storum me accingo : Ubi sudoris genus ponitur *ex-  
 crementum*, tale enim dicitur, quicquid ab alimentis  
 per coctionem separatim assimilari haud potest, adeo-  
 que è corpore est secernendum, cæteroquin onerosum  
 futurum & nocivum, ut est præter sudorem sputum,  
 mucus, lac, aurium cerumen, alvi & vesicæ excremen-  
 ta, &c. Dicitur vero hoc excrementum *serosum*. Se-  
 rum nimirum sive latex aquosus sanguinis est materia  
 & vehiculum quoque omnis transpirationis, quo mas-  
 sa sanguinea pertingit ad totam corporis peripheriam  
 extimam, ejusdemque integumentum, cutim, & jugi-  
 ter demandat copiosissimas particulas insensibiliter  
 per

per cutim, unde si hic naturæ motus ulterius acceleratur atque intenditur, sudor ipse emergit. Ex *plurima aqua* constare idem avtopsia ipsa suadet, *mediocri sulphuris* præsentia ex defectu coloris patescit, licet hæc & sequentia ratione diversitatis subjectorum sint determinanda, in aliis enim biliosis e. g. magis est coloratus sudor; *sal* ex sapore ipso eruitur haud rarò, nec minus egregiè probat experimentum *Tacchenii in Hipp. Chym. cap. 12.* qui saporem sudoris salsum ac pinguem ex acido nim. & alcali compositum ex induis lixivio maceratis mechanicâ chymicâ demonstrat. Nec minus idem serum pro varietate subjectorum *aliis particulis heterogeneis cum sanguine haud bene unibilibus constat*, puta particulis volatilibus, oleosis, acidis, inutilibus, variis & variantibus, tam superfluis & recrementosis, aliisque sordibus, quàm diuturniori una cum sanguinis circulo & fermentatione effœris & attritis quasi & plus minus attenuatis ac volatilisatis, in forma sudoris expellendis, quippe qui pariter atque *ἀδνος διαπνοή*, tertiæ digestionis destinata est, ut ne aliquid fordium post nutritionem relinquatur, sed potius heterogeneum quodvis per peripheriam corporis nunc sensibilibiter nunc insensibilibiter educatur.

§. VI.

Subjectum primarium in quo, sive organon in def. sunt *cutis pori, glandule ac tubuli lymphatici*, in quibus primario continetur, & ex quibus proximè excernitur sudor, secundarium constituunt arteriæ, à qui-

quibus demandatur ex sanguine hoc serum superfluum ad dictas partes. Cutis juxta *Lindanum* & *van Horne* duplex esse censetur, exterior, nervea scilicet atque porosa, & interior, carnea quasi glandulis referta, quam utramque quoque *Massa* observavit, dum cutis laminam internam molliorem, externam duriorem esse asserit. Alias verò cutis triplici gaudet lamina, quas inter prima est cuticula, *iridequis*, aliis summa & ultima cutis, cutis operculum &c. pellicula illa tenuis & tamen non nimis densa, perforata, sive per poros suos sudoris vasculorum orificia ostendens. Qua sublata apparet rete quoddam tendinosum, ejusdem ferè formæ ac crassitiei ac juxta *Malpighium* media linguæ tunica, inter cujus foramina, crebriora vascula sudoris & papillulæ nerveæ, una cum illis à subjecta cutis lamina assurgentes continentur, quæ in cuticulam, ceu ultimum terminum, transeunt. Et tandem sequitur cutis propria substantia, ex triplici minutissimorum vasculorum capillarium ceu fibrarum genere, tanquam tot filamentis artificiosè constructa, ex vasis nimirum capillaribus, fibrosis, venarum & arteriarum, & primariò filamentis nervorum ac tendinum, utpote quorum fibræ præ cæteris copiosiores sunt, quæ inter se contextæ rete quoddam totum corpus investiens constituunt. Sub hac verò textura reticulari copiosæ observantur glandulæ parvæ, ex genere conglomeratarum ob exilitatem miliares dictæ, suis excretoriis vasis lymphaticis, exteriora versus ad cutim spectantibus, constructis, quorum orificiola cutis poros constituunt, per quos continuo e-

B mit-

mittitur secreta materia, sicubi particulæ heterogenæ & superflua excernendæ adsint. *Veno in Myolog. Specim. Geometr. ubi de Piscis Anatomie, it. observ. de muscul. & glandul. p. 46.* poris singulis glandulas suas subjacere observavit. Et hæ ipsæ glandulæ excretoriæ veri copiosioris transpirationis & transudationis videntur fontes, quæ prout in quibusdam subjectis una cum poris suis vel per se sunt magis vel minus patulæ, vel tales successu temporis & occasione enata evadunt, major vel minor copia udoris & sudoris apparet, unde in illis, qui insensibili transpiratione carent, sicuti *Acta Anglicana p. 103.* talis modi deficientem Transpirationem insensibilem referunt, ut indusia per tres septimanas & ulterius pura permanserint & anasarca oborta sit, judicandum poros & glandulas minores & subtilissimos fuisse.

## §. VII.

Antequam verò ad sequentia verba Def. sudoris causas continentia progrediar, haud inconsultum erit, considerare modum sudoris sive quoque insensibilis transpirationis. Dicitæ nim glandulæ cutis, miliarès ex sanguin. per capillaria vasa ablato, partem ejus aquosam, particulis effœtis & superfluis, salinis, æeis, & visis & sosis aliisque inutilibus, partim M. S.æ & quidem primariò, partim partium continentium, imprægnatam copiosè emulgent & separant & in dispositis vel insensibiliter vel sensibiliter in forma sudoris eliminant. Quæ ut planiora reddantur, conveniet octo in genere circa sudorem observare phœnomena, tam in sudore naturali & nonnaturalis, quam præternaturali.



li. Ex quacunq̄ue nimirum causa sudor oboriatur, unicuique observare licebit <sup>a)</sup> quod sanguis incipiat celerius æque ac velocius circulum suum absolvere : Musculi quippe nunc contrahuntur, nunc relaxantur, unde vasa sanguifera contrahuntur, seu relaxantur; motu itaque sanguinis circulari continuo, ordinariò deprehenditur pulsus celerior ac frequentior. <sup>b)</sup> Sanguis hinc ipse hoc modo circulatus ob frequentiore transitum per pulmones, cor, arterias, venas, & totum corpus insigniter rarefcit, hinc idem & totum corpus ex vehementiori ac celeriori, intestino atque fermentativo particularum motu magis magisque incalefcit, ex quo pulsus major. <sup>c)</sup> Idem sanguis hinc attenuatur, liquefcit, plus minus resolvitur, longeque fluidior ac tenuior redditur, <sup>d)</sup> quando itaque sanguis ita circulatus attenuatur & resolvitur, atque à concepto calore magis agitur, serum ejus, sive latex aquosus, commune nim. excrementi atque alimenti vehiculum in attenuata & resoluta massa insigniter diluit universam agitaram MmSm, atque simul copiosius imbibit & absorbet particulas M æSæ heterogeneas, i. e. non ritè aut intimè eidem commiscibiles, aut permixtas, separatas ac præcipitatas, unde ex his particulis imbibitis, sudor nunc est salsus, nunc acido-salsus, nunc alius saporis. <sup>e)</sup> Porrò hic latex aquosus ita M.æS.æ particulas imbibit & circulatur cum sanguine per partes solidas, præsertim subcutaneas hoc serum salinum, sicque simul abluit, & abstergit salsedine sua imbibita lixivii aut liquoris saponarii adinstar partes quasdam solidas, abluitque earum



rum fordes, easdemque ita solutas una educit. Hæ-  
 verò ꝑ cum sanguine ulterius circulantur ad extrema  
 corporis vasa, capillaria dicta, ita quidem, ut dum M. S.  
 per arterias velocius vehitur, haud tanta cum veloci-  
 tate reforberi valeat intra venas, exinde eveniat, ut se-  
 rum sub quadam mora, dictis heterogeneis particulis  
 mixtum, glandulas miliares intercutaneas subintret,  
 easdemque largiter imprægnat, unde sudor imprimis  
 facilitatur, si meatus & pori tam dictarum glandularum  
 miliarium quàm vasorum capillarium patuli reddantur  
 ex blanda humectatione, blandoque calore, indeque  
 resolutis fibris nerveis. Ex quibus ꝑ partim ope ca-  
 loris tunc in ipso corpore intensioris, partim median-  
 tibus fibris, sese blandè constringentibus, largius & co-  
 piofius, guttularum licet minutissimarum forma eva-  
 cuatur serum, quo simul omnia fermenta peregrina  
 optimè eliminantur, usque dum cessante sanguinis ci-  
 tatori fluxu in debitam rursus abeat consistentiam,  
 sicque serum cum sanguine denuò intimè uniatur, un-  
 de fermentatio fit placida rursus magis, circulatio  
 M. S. tardior, calore remittente porisque conniventibus.  
 Tandem ꝑ observare licebit hîc magni mo-  
 menti phœnomenon: quod si pori suppositi etiam non  
 sint ritè aperti, seu ductus glandulosi haud sufficienter  
 laxati, ob ambiens e. g. frigus, vel conatam dispo-  
 sitionem &c. fit ut plurimum ordinario, ut sudoris loco  
 suppressi largior urinæ fluxus superveniat, id quod ex  
 urina potius tempore hyemali atque æstivali viden-  
 dum, præterea hyerne plus mingimus quam æstate,  
 & æstate plus sudamus quàm hyeme.

§. VIII.

Ex quibus sudoris causæ simul hinc inde patescere potuere, aut hujus gratiâ in definitione posita facilius intelligentur: Sic excernitur sudor, suppositis quoque antedictis requisitis materialibus, subjectique dispositione, *caloris & fermentationis ope*, causarum sociarum, motum sanguinis, motum humorum urgentium & laticem aquosum una cum dictis heterogeneis particulis per poros cutis sensibilibiter hinc educentium. Paradoxum verò esse primo intuitu videbitur, si dicitur, id fieri *interdum & sanguinis quoque debilitate*, at cum in lipothymia, syncope, lethargo aliisque p. n. affectibus haud raro sudor copiosus apparet, ubi tamen sanguinis debilitas accusanda merito est, inde idem ibi recrementosus fermentescibilibus particulis erit adscribendum. *Aucta* verò *transpiratio* formalem ferè rationem fientis sudoris supplet, qua posita hic quoque ponitur, negatâ verò eâdem, sudor quoque emanet. Sic videas subjecta in quibus parum vel nihil sudoris etiâ à sudoriferis egressiis expectatur, in ejusmodi exemplis, ubi, sicuti superius tactum, prorsus deficit quoque insensibilis transpiratio. *Aliæ* tandem *causæ nunc ab intra nunc ab extra juvantes ac sudorem promoventes sunt variæ*, sudorem expellentes, ut *idem guttularum adinstar à frigore externo condensatus* in cute appareat ac decidat, quæ varietas causarum aliarum patefcet

tescet passim intimius, si jam sudorem ipsum *naturalem, nonnaturalem* & *p. n.* perpendamus.

§. IX.

De *naturali sudore* dubium est, an detur: Nonnulli enim omnibus in corpore rite dispositis, & probe digesto cibo, & quando nihil externi aut violenti, motuse. g. corporis, balnea. stragula, exterior calor &c. accedunt, nihil per cutem, quod sensu percipiatur, excerni putant. Sic *Sylvius Prax. L. 1. cap. 58.* sicut vomitum, ita quoque sudorem, ceu excretionem naturalem non admittere vult, sed aut nonnaturalem, aut præternaturalem, aut medicam hanc vel artificialem vel criticam esse putat. At si cutis poros, & glandulas dictas miliaris consideramus, in aliis subjectis esse magis apertos & apertas, ut tanquam organa naturalia serum superfluum secernent, illudque sub forma sudoris e corpore eliminant, & hinc excrementum naturale dici mereatur. Si perpendimus, in subjectis calidioribus, cholericis, sanguineis facilius sudorem fluere, nullum dubium est, motum egregium lymphæ a natura per experimentum superius allatum *Santorii* inter insensibilem transpirationem fientem citra aliam quoque causam extetnam ulterius produci & sudorem ipsum causari valere, qui procul omni dubio *naturalis* est vocandus, si cumprimis haud ledat, sed cum euphoria eveniat, & à sola dispositione corporum, habitu corporis succi pleno, idiosyncrasia, temperamento dependeat, aut si morbi diu prægressi, medicamenta sudorifera olim in copia adhibita, motus

tus & exercitationes corporis nimiae dispositionem deinde relinquunt, ut sudor ex solo intrinseco movendi principio sub secretionem lymphæ fieri debita mediante diaphoresi aucta facillimè fluat ac prorumpat: *Quibus casibus Medicus ejusmodi naturalibus sudoribus adeò non mederi debet*, ut potius laudabilem hanc excretionem conservare, & dummodo non excedit, haud tollere valeat.

§. X.

*Sudor nonnaturalis* est & dicitur, qui à *Sex Rebus N. N.* causatur, quæ ideo vocantur, quoniam medio modo se habent ad statum naturalem conservandum & statum p. n. producendum. Ita *Aer* calidus & siccus, calidus & humidus, naturalis & factitius, æstus, æstas, regiones, & climata calidiora, balnea calida, focus calidi, frictions calidæ, lectus, stragula, vestimenta probè munita &c. poros magis aperiant & sudorem nonnaturalem promovent, causam nunc conservationis status secundum naturam, nunc inductionis status præter naturam. Huc pertinet *cibus & potus*, quantitate, qualitate & utendi modo ad sudorem disponens. Sic ingluviæ & crapula non solum augent lympham, sed & corpori reddunt onerosam, sudorem provocando copiosum elogio 4. *apbor. 41. Hipp. Coi.* Cibi & potus, cum primis calidi, piperata, aromatizata. Vina Generosa, cerevisiæ bonæ &c. motum lymphæ accelerare & sudorem, nonnaturalem dictum, elicere valent. *Motus corporis excessi-*

*cessivus* & *quies intermissa* lymphæ motum & cras-  
sin moderantur & augent, rarefaciendo poros dila-  
tant, sudorem provocantes, motus enim externus ju-  
vat motum internum. In *somno* quoque & *vigiliis*  
sudor magis elici deprehenditur, utrobique, quatenus  
motu intrinseco serum ab interioribus partibus ad ex-  
teriores, à centro ad peripheriam magis vehitur. Nec  
immunia sunt *excreta* & *retenta* à productione co-  
piosioris sudoris. Si enim excretiones citatiores sint  
& copiosiores, lymphæ tenuis & fluxilior redditur &  
ad extra quoque verti facile potest. Si urina parcior,  
menses & hæmorrhoides haud decenter expurgentur,  
lymphæ magis rejurgitat ad habitum corporis in for-  
ma sudoris. Multum verò contribuunt *Animi Pa-*  
*thematæ*, præsertim quæ efferunt spiritus & lym-  
pham, ut ira, animi exandescencia, nec tamen ea  
sunt omittenda, quæ concentrant alias, e. g. timor &  
terror & futurorum metus, à quibus haud rarò sudo-  
res copiosiores oriuntur, quos omnes si Medicus  
adhuc sub latitudine sanitatis deprehendat, na-  
turæ relinquat, sin minus, & causæ morbificæ  
qualitatem induunt, morbosque produciunt, aut  
*Symptomata*, mature iisdem debita remedia op-  
ponat, necesse habet.

§. XI.

Ad præcedentem classẽ sudorum nonnatu-  
ralium suo merito quoque refertur evacuationis uni-  
ver-

versalis modus per sudorem, *sive sudor artificialis*,  
 & *medicus, per medicamenta institutus*, in quo  
 Medicus sequatur naturæ ductum & sæpiùs auspicato  
 provocet quibusvis in morbis, præsertim cutaneis,  
 sudorem, qui obin nonnaturalis dici meretur, quoni-  
 am ad assumpta referri potest, quoniam stragulis &  
 lecto calor augeri & motus humorum ad extra fieri  
 debet. Remedia hæc dicuntur *sudorifera*, quæ sci-  
 licet non tantùm per *ἄθλον διαπνεῖν* discutunt excremen-  
 ta halitiosa, eandemque transpirationem promovent,  
 ac sanguinem & humores ventilant, sed etiam roscido  
 sudore conspicuum magis effectum, in manifesto eli-  
 minandis per cutim heterogeneis particulis relin-  
 quunt, sanguinem nimirum fundunt, serique à san-  
 guine secessum procurant, ut halituum specie per cu-  
 tis poros expelli possit. Faciunt hoc I.) ea, quæ ab-  
 sorbent ac quod serum fixius reddit, resolvunt: Ut  
 sunt: *alkalina fixiora, terrea, diaphoretica: v. c. ocul. &*  
*c. c. phil. ppt. & ustum, mater perl. ppt. conchæ ppt. lap.*  
*bez. bolus Armen. & diaph. simpl. & St. bez. mineral. Sal.*  
 II.) quæ fluxile serum reddunt, rarefaciunt & fer-  
 mentationem sanguini novam quasi inducunt: Qua-  
 lia sunt a.) *Salia lixiviosa & nitrosa: & absinth. fumar.*  
*centaur. min. stip. fabar. card. ben.* quæ absorbent, simu-  
 lac fluxile serum reddunt, cum ante dictis, quoque  
 pro re nata combinata. β.) *potentiora sunt sudorifera,*  
*sicubi requiruntur, volatilia: & C. C. viperar. eboris,*  
*liqv. C. C. succin. & bezoard. Buff.* quibus vehiculi loco  
 apprimè inserviunt: *∇æ destill. card. ben. fumar. flor. samb.*  
*desuper aut per se assumendo aliquid de rob. sambuc. vel*  
*cbul.*

*ebul.* ob aquosam & gummosam substantiam facile resolubilibus, huc pertinent ea, quæ sale vol. cum sulphure penitus commixto pollent, amaricantia ac resinosa: carduus ben. camphora, lignum quajacum myrrha &c. & ex compositis *Tinct. bez. Wedel. Michæl. ess. ther. bals. theriac. mithridatum, theriac. s. l. c.* &c., quæ torpidum feri motum promovent, superfluum discutunt, poros aperiunt, ac M.æS.æ novum vigorem conciliant. 2.) optima quoque sunt temperata salino-sulphurea, *Tinct. & simpl. & Sta Tinct. & acris*, cum purificantibus & mundificantibus sanguinem, *ess. e. g. liquor. decoctis sudoriferis, liquor. sumpta vel interpolata.* III.) quæ in coagulum fere abituricæ & eorum incidunt, attenuant & eo ipso sanguinis & humorum fermentationem atque innovationem promovent. Præstant hoc pro vario causarum & circumstantiarum statu, diversoque respectu, quem jam ex principiis Medicis præsupponimus, quem dato casu Medicus quivis facile distinguere poterit, tam acida, quam alcalina quoque jam dicta. Sic *acetum ipsum* ad sudorifera non minus ac *alia acida* quoque pertinent. *Acetum calendul. l. simpl. aut aliud e. g. cum oc. &c.* sumptum egregiè sudorem prolicit, & medicamenta sulphurea acidorum accessione longè præsentius agunt, sudorem proliciendo magis, quam sibi relicta, exemplo *Mixt. simpl. vel Tinct. bez. & dulc. a.* Hæc & similia facile addenda & p. r. n. varianda Medico Practico sufficient pro sudore lege artis adornando in quibusvis M. S. æ vitis à qualitate & motu vitiosis oriundis, instagnationibus, excessibus, despumationibus, in grumositate sanguinis cum primis, in *seu influxu* atque affluxu sanguinis & feri quocunque, in impuritatibus torius M. S. & cutaneis cum primis affectibus, in inflammationibus pleuræ, pulmonum,



num, hepatis, in pleuricidè, fluxionibus articularum, arthritide, febribus quibuscunque, tumoribus inguinum, tonsillarum, axillarum &c. lipothymia, syncope, scabie, lue ♀, scorbuto, elephantiasi & similibus.

§. XII.

*Sudorem præternaturalem* tandem consideratur, deprehendo eundem in statu p. n. esse vel criticum, vel symptomaticum, vel morbificum. *Criticus est*, si in decursu morbi ab intrinseco movendi principio, si ve natura copiosè instituat, & tendat quidem vel ad solutionem morbi, ejusdemque symptomatum exoptatam, futuram sanitatis nimirum restitutionem, vel ad analyfin de viâ quoniam, sive lethalem, quo casu Medicus magis spectator ferè esse debet & defensor vitæ, & nunquam non ibidem sibi cordi fore putet, necesse est, ut non turbet naturam in motu suo, sed hunc quantum fieri potest, lege artis ita moderetur, ut nunquam sibi objici possit unquam, se ullibi nocuisse, sed juvare potius voluisse. *Symptomaticus & morbificus* curationi magis obnoxius est, siquidem magis urgens symptoma juxta regulas medicas est præcipuè, cæteris paribus, tollendum, & morbi causa, morbusque ipse per se & imprimis à Medico est curandus. Uterque verò, Observationibus Medicis testantibus, potest esse vel *auctus*, vel *deficiens*, vel *depravatus*: *Auctus* non rarò in febribus ardentibus, benignis & malignis, Peste ipsa, Sudore Anglico, intermittentibus, continuis, mixtis, quotidianis scilicet tertianis, quartanis & semitertiana continuis, in lentis denique & hectica ipsa, in inflammationibus quibuscunque, phrenitide, ophthalmia, gutta rosacea, angina, peripnevmonia, pleuritide,

C 2

hepa-

hepatitide, nephritide, paraphrenitide, uteri & intesti-  
 norum inflammatione, in inflammationibus partium  
 externarum, mammarum, unguum in paronychia,  
 scroti, pudendorum, in erysipelate, furunculis, ambustio-  
 ne, pernionibus, vulneribus, contusionibus, gangræna,  
 & sphacelo ipso, sive *νεκρώσει* summa, in doloribus variis,  
 in obstructionibus, in fluxibus humorum p. n. in tumo-  
 ribus ipsis frigidis magis, in ulceribus, fracturis & ru-  
 pturis, in læsionibus sensuum externorum & cumpri-  
 mis internorum, deliriis, paraphrosyni, mania, melan-  
 cholia, phrenitide, furore & ino, amore insano, & rabie,  
 vigiliis, somno p. n. infomniis turbulentis, noctambulis,  
 in læsionibus denique motus, convulsione, spasmo epi-  
 lepsia, motibus convulsivis, & ita porro quamplurimis  
 affectibus præternaturalibus manifestè deprehenditur,  
 nec minus in iisdem pro varietate subjectorum aliarum-  
 que circumstantiarum, *sudor deficiens*, aut *depravatus*  
 observatur. Sed quorsum excurrit mea dissertatio,  
 quæ pro his omnibus & antecedentibus ulterius expen-  
 dendis ob chartæ angustiam, temporis brevitatem, ali-  
 asque circumstantias interrumpitur, unde reliqua di-  
 cenda silentii peplo nolens volens involvere teneor;  
 Curationem his in casibus fieri debitam unusquisque Pru-  
 dens Medicus facile supplebit e suis oculis & præcipue ex  
 Aphor. XXII. S. II. Dictatoris Nostri supremi, Coi, qui Fra-  
 trimeo Germano nuper à Gratiôsa Facultate Medica in Exa-  
 mine suo Practico ad resolvendum erat injunctus, seqq. te-  
 noris: *Morbis ex repletionem ut curat evacuatio, sic eos, qui ex va-  
 cuatione sunt, repletio, & in cæteris contrarietas remedio est.* Con-  
 traria nimirum contrariis curantur & similia similibus con-  
 servantur. Dixi, & DEO T. O. T. M. gratias humilli-  
 mas & devotissimas dico,

D I X I.

❧ ) o ( ❧


01 A 6510

ULB Halle 3  
002 929 198



vol 18







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE  
DE  
**SVDORE**  
NATVRALI, NON-NATVRALI  
ET PRÆTERNATVRALI,

QVAM  
SVPREMO ARCHIATRO DIRIGENTE, SVAQVE GRATIA  
ADSISTENTE,  
IN ALMA AC PER-ANTIQVA HIERANA  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS.  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO  
**CHRISTOPH. IGNATIO**  
DE **GVDENVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;  
**VIGORE DECRETI ET CONSENSVS GRATIOSÆ**  
**FACVLTATIS MEDICÆ**

SVB PRÆSIDIO  
**DN. HIERONYMI Sudolff /**  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,  
CONSIL. ET ARCHIATR. ELECTORIS MOGUNT. FACULT. MEDICÆ ET PHI-  
LOS. ASSESSOR. ORDINARIJ, n. n. CHTMIE AC MATH. PROF. PUBL.  
DNI PROMOTORIS AC PATRONI SVI ÆSTVMATISSIMI  
**PRO LICENTIA**

SVPREMOS IN SALVTARI ARTE HONORES VNA CVM PRI-  
VILEGIIS ATQVE INSIGNIBVS DOCTORALIBVS MORE RITVQVE MAJO-  
RVN SOLENNI OBTINENDI  
PLACIDÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET

**MICHAEL SIEGISMVND SCHIEBEL, Vr. Silesius.**  
DIE II. SEPTEMBRIS, ANNO MDCCXXIV.  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

